



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione
Et Anima

Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682

Quæstio I. De Ente secundùm se.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)

DICES V. cum eodem num. 52. Est valde hallucinari, nullum ponendo discrimen inter primum principium, primamque propositionem: cum enim principium complexum semper in aliqua propositione consistat, potest duobus modis considerari, vel quatenus propositio simpliciter, vel quatenus principium: si consideretur ut propositio, primitas ejus ex eo petenda, quia est affirmativa, quod sit simplex, non modalis, quod terminos habeat irresolubiles: in ratione autem principii primitas est attendenda, ut ita sit certum, ut circa illud non contingat errare, quod sit notissimum absolute, quod sit impossibile oppositum in mentem venire alicui.

RESPONDETUR. Etiam his differentiis positis utrumque hoc salvatur in dicto principio; quod cateroqui si utrumque salvat, & aliunde habeat se per modum superioris ad illud impossibile est idem esse & non esse adhuc erit absolute primum: neque enim etiam circa illud principium contingit errare &c.

QUÆSTIO I.

De Ente secundum se.

DIFFICULTAS I.

Quid definitivè Ens.

PRÆMITTO I. Rigorosè loquendo aliud est Ens, & aliud Entitas. Entitas enim potest concipi ut forma quadam hoc concretum quod est Ens constituens, & ipsum Ens erit concretum illud: sed usus invaluit hæc non distinguendi: puto idè quia de entitate nihil speciale dici potest, quod non dicatur de ipso Ente tractando.

PRÆMITTO II. Varias esse acceptiones Entis. I. Ens accipitur pro vero, sicut non Ens pro falso: qui enim dicit hominem esse animal, hoc dicit quod est Ens: qui autem dicit, hominem esse lapidem, dicit non ens: homo enim, est, non ens lapidis. Et hoc sensu ens dici potest etiam de non entibus & negationibus: quia etiam de his verum dici potest; vocaturque hoc ens complexum, ut videre est 4. Metaphys. textu 14. II. Accipi potest Ens incomplexum pro aliquo communi tam entibus positivis quam negationibus. III. Potest accipi Ens restrictè jam ad esse positivi, accipiturque pro aliquo communi, tam ad Ens nominaliter, quam ad Ens participialiter acceptum. IV. Accipi potest Ens nominaliter & participialiter: participialiter acceptum idem est quod existens, ita ut ly Ens sit participium Verbi Sum, verbum autem Sum supponit pro existo. Ens autem nominaliter acceptum supponit pro

summo prædicato entium positivorum: taliterque accepti entis in præsentī definitio requiritur.

PRÆMITTO III. Quomodo aliqui defini verint Ens nominaliter acceptum?

PRIMO. Definiunt aliqui apud Oviedo quod sit omne illud quod Chimæra non est. Hæc explicatio

NON SATISFACIT. Tum quia ignotior est Chimæra, ipso Ente. Tum quia Chimæra est non Ens conceptum per modum Entis: Ergo Ens erit, quod non non est non ens conceptum per modum Entis: Triplico Non, ut faciam veram negativam, excludamque dubiam acceptionem: de hoc autem ipso quaeritur, quid est illud ens per modum cuius Chimæra concipitur. Tum quia negatio omnis posterior est affirmatione, adeoque esse prius est non esse, quid enim negaret illud Non? Ergo Ens quod est affirmativum quid, debet esse prius aliqua negatione Chimæra. Tum quia nihil positivum rectè definitur per negatam negationem sui, sed definiri debet per aliquid prius. Tum quia negatio Chimæra vel fundatur in aliquo positivo, vel non fundatur: si fundatur in aliquo positivo, illud potius positivum erit definitio Entis: si autem illa negatio non fundatur in aliquo positivo, ergo illa negatio non est negatio: erit enim negatio negationis, & non negatio positivi: negatio autem negationis non est negatio, sed positivum quid, ulteriusque ex negatione positivi sequetur & inferetur positivum.

SECUNDO. Aliqui definiunt, Ens est id quod primo in se formaliter non est nihil. Hæc etiam explicatio

NON SATISFACIT. Tum quia contra illam sunt rationes adlatæ contra primam definitionem. Tum quia rationes quæ pro bonitate hujus definitionis possunt adferri non convincunt: nam quamvis per remotionem oppositi, præsertim simplicissima, bene explicari possint; id tamen tunc solum verificatur, quando oppositum habet aliquam specialitatem per quam notificet sese, ut non adferat solam negationem. Sic v.g. Calor explicari aliquomodo potest quod sit negatio frigoris; frigus enim aliquam habet specialitatem, ratione cuius notificare se potest. Si quis tamen explicare vellet quid sit Petrus, diceretque quod sit non Joannes, quem aliàs non nosco, nihil omnino explicaret. Quia autem nihil seu negatio Entis nihil habet specialitatis, per quam sese scientificè magis notificet; nec negatio hujus negationis, seu negatio nihil de ente dicta poterit notificare ipsum Ens. Si tamen negatio nihili aliunde notificetur, cum nō minus latè pateat ac ipsum Ens, utcumque illud notificaret. Unde etiam salvari posset illa phrasis Antonii Perez, qui volens significare ipsum rei esse, appellavit illud ipsum rei Non non.

TERTIO

TERTIO definiunt Alii cum utroque Suar. Arriaga, Ovied. & aliis: quod *Ens sit id quod dicit aptitudinem ad existendum*. Hæc Explicatio

NON SATISFACIT. Tum quia existentia est quid posterius & accidens, quoddam Metaphysicum: Ergo per illud tanquam per aliquid primum non rectè explicatur essentia entis; sicut non rectè explicaretur rationalitas per aptitudinem admirativitatis. Tum quia illa aptitudo non solum est ad aliquid, sed aliquid, & hoc illud aliud queritur: quid sit? Tum quia hîc queritur definitio Entis nominaliter accepti; Ergo recurri non debet ad id, quod est de linea entis participialiter accepti.

QUARTO. Perez Ens reale sic definit, duplicemque ejus definitionem assignat. Primò. *Ens reale est id quod à parte rei est unum, verum, bonum*. Secundò. *Ens reale est principium distinctionis, motivum formale potentie intentionalis*. Dicitur est principium distinctionis, quia est primum fundamentum nominationis contradictionis, & est id à quo possumus incipere numerationem. Et talis est v. g. Petrus in hac nominatione, Petrus, non Petrus. Est autem *motivum formale* cujus nomine intelligitur, id, propter quod aliquid aut cognoscitur, aut amatur. Est autem, *motivum potentie intentionalis*, quæ est duplex noscitiva & appetitiva; utraque autem dividitur, prior in intellectum, & sensum; posterior in appetitum rationalem & sensitivum. Hæc explicatio

NON SATISFACIT I. Quia supponit aliquid de quo ipso queritur, supponit enim quod illud principium debeat esse reale, de quo ipso queritur quid sit? Quod autem id supponat, probatur: Quia potest dari etiam Ens intentionale reale prout opponitur ficto, esseque principium intentionale distinctionis, motivum potentie intentionalis; Ergo cum ita non sumatur in dictâ definitione, debet sumi principium reale, de quo ipso queritur quid sit?

NON SATISFACIT II. Quia si eandem definitionem ad clariores terminos reducas, faciet hunc sensum, quod Ens reale, sit individuum, noscibile, vel appetibile; nihil enim in re est illud à quo incipit numeratio, ut etiam patet ex ipso exemplo allato, nisi individuum, quod solum potest concipi à parte rei, & appetiti: quo posito jam illa definitio non rectè procedit; quia ostendit potius subjecta quibus competant esse entia realia, quàm quid definitivè sint entia realia.

NON SATISFACIT III. Quia prius est ratione esse ens reale, quàm movere potentiam intentionalem: nam posteriores conceptus sunt, ad aliud; hoc autem quod est esse Ens, reale est in ordine ad se: Ergo hæc definitio non procedit per prima, adeoque bona non est.

Tum quia movere istud, spectat ad verum, quod movet intellectum, & ad bonum quod movet voluntatem; verum autem & bonum, utpote attributa, non sunt primò definitiva Entis realis. Tum quia hoc quod est esse principium distinctionis, est esse principium alietatis, vel esse principium negationis identitatis; neutrum horum per primò constituet Ens reale: Non primum, quia prius est me esse, & posterius, me aliud esse; quando autem queritur quid sit Ens reale, queritur de illo quod facit me prius esse: Esse etiam principium negationis identitatis, non est quid primum; cum positiva in positivis, priora sint præ negationibus, adeoque principiis negationum, priora principia realitatum. Tum quia esse id à quo incipere possumus numerationes, præsupponit ipsum illud à quo incipit numeratio, adeoque per prius constitutum. Ergo supponit Ens; quid enim aliud? de quo ipso queritur, licet ab illo incipiat numeratio, quid sit illud? Et sicut in cumulo militum, prius est esse militem, postea incipi ab illo computationem; sic & in præsentî. Tum quia Unitas, definitivè est principium numeri, si ergo Ens reale definitur per id à quo incipit numeratio, definitur per unum, adeoque per aliquid posterius, sicut si definiatur homo, per risibile. Tum quia præsens definitio assumit aliqua, quæ non ita sunt dictu facilia: nam imprimis, cum universaliora sint priora, quæ illis non tribuitur, quod sint principium distinctionis, motivum formale potentie intentionalis? Rursus supponatur impossibilitas potentiarum intentionum, jamne per locum intrinsecum sequetur lapidem non esse ens reale? Tum quia in ipsomet ente, debet esse id quod cognoscitur, quod amatur, adeoque quod est objectum potentiarum intentionum; neque in ipso hoc, primò cognoscitur quod sit cognoscibile, seu objicibile, sed id cui competit illud, de illo ergo ipso queritur, quodnam sit illius constitutum? & sicut definitivum hominis est animal rationale, quod ipsum, est quod primò cognoscitur, ita & in Ente, debet dari aliquid prius, quod primò cognoscatur. Certè illud ipsum quod cognoscitur non est nihil, queritur ergo, quod sit illius constitutum?

DICENDUM est. *Ens nominaliter acceptum, est; Ens prout est radix, esse primò formaliter.*

Accipitur hîc pro genere *Ens* quia datur aliqua acceptio Entis, superior ente nominaliter accepto; hoc est, ipsum ens commune Enti nominaliter, & commune Enti participialiter accepto. Et sicut quamvis alicui *Ly animal* non esset notum; nihilominus *Ly animal* bene potest accipi pro genere ad definitionem hominis; Ita quamvis alicui esset ignotum, Ens com-

commune ad ens nominaliter ac Ens participialiter, bene tamen ad ejus definitionem adhiberi potest. Et licet in definitione hominis non possit pro genere accipi homo, quia ipso homine non datur universalior terminus qui sit homo; quia tamen talis universalitas reperitur in Ente, bene Ens ad definitionem Entis accipi potest. Accipitur item ad definitionem hic terminus *Radix*, quia caremus verbis ad significandum id, cui in ente debetur, ut primò formaliter, habeat esse. Ly autem esse accipiendum hic non pro existere; nam Ens nominaliter non debet definiri per existere, quod spectat ad Ens participiale: sed accipitur esse prout est quid prius ipsa essentia appropriatè dicta; idque ideo quia essentia appropriatè dicta est quid inferius Ente, contrahensque Ens; Essentia enim est, tale in specie Ens. Accipitur itaque illic esse non tam pro infinitivo, quàm potius pro quodā abstracto formam quandam significante, non absimili modo, quo loco hujus *bona est dormitio*, dicimus *bonum est dormire*. Quod si abstractè & pro formā Entis illud esse accipiat clarior erit suo definito; quia non rarò concreta definivit Aristoteles per ipsa abstracta; unde etiam ad definitionem formandam tradidit Aristoteles methodum resolutivam. Et sicut notificatur simum per hoc, quod est nasus simus; album item quod sit habens albedinem, ita & Ens per esse notificari poterit. Dicimus autem Ens esse *radicem primò & formaliter*, quia Ens exigit esse non per identitatem cum alio. Nec exigit esse non nisi materialiter acceptum, sed exigit esse primò & formaliter, ut esse, non nisi per identitatem cum illo, competat aliis.

Rejiciuntur hinc à definitione Entis Entia rationis, quia hæc non dicunt radicem ipsius esse primò formaliter, sed esse objectivè. Rejiciuntur negationes, quia hæc non sunt radix esse, sed non esse. Rejiciuntur formaliter connotativæ, quia illis competit esse non nisi propter identitatem. Non rejiciuntur tamen accidentia realia, quia & hæc dicunt radicem esse primò formaliter, licet comparata ad substantiam sint Entis potius, quàm Entia; dicunt tamen in se spectata radicem esse primò formaliter, quia non propter identitatem cum alio rationem Entis participant, quod proportionaliter ad modos entitativos applicari debet.

Quod si quæras? Quid sit ens *participialiter* acceptum? Definiri poterit, quod sit *Ens prout habet primò formaliter existentiam*. Ens autem commune ad hoc utrumque est *Ens, cui competit esse indefinitè, & non restrictè illud accipiendo*; Denique Ens commune ad positiva & negativa est *id cui competit quomodocunque esse*. Pro genere ponitur particula *id*, quia Ente communi ad positiva & negativa, non datur aliud Ens, prius ponibile in definitione.

DIFFICULTAS II.

Cui competat esse Ens formaliter?

Non est controversia in præsentī, nisi de solis differentiis, an sint formaliter Ens? Huc aliqua spectantia petantur ex dictis in Logica: An differentiæ superiores includantur in inferioribus.

Punctum Difficultatis I.

Deciditur Quæstum.

DICENDUM est I. *Differentias esse formaliter Ens, accipiendo illud contractè, determinatè &c.*

PROBARI solet I. Si Ens non transcenderet differentias, species Entis per hujusmodi differentias constitutæ, non ex omni parte essent entia, sed partim non Entia; Entia quidem secundum unam partem nempe secundum genus, non entia autem secundum aliam partem, nempe secundum differentiam: sed hoc est absurdum, quia sicut repugnat non ens, non ex omni parte esse non ens, ita repugnat esse ens, & non ex omni parte ens.

RESPONDERI potest, quòd argumentum probet bene quòd differentiæ etiam ultimæ sint Ens, sed non est quæstio de hoc, an sint ens? sed an sint ens formaliter? bene autem constitui potest aliquid ex ente formaliter, & ente materialiter. Et sicut negatio rugibilitatis in homine, dicit entitatem, propter identificationem cum homine; sic & rationem Entis dicere poterunt differentiæ, propter identitatem cum eo, quod est formaliter ens. Diceret etiam aliquis ex Pontio disp. 69. n. 25. differentiis convenire rationem Entis formaliter, sed non convenire ex ratione formali differentiarum.

PROBARI solet II. Species entis v.g. homo, nō est alia Physica entitas à genere & differentia sese componentibus: Ergo differentia illius, si non est formaliter ens, nec ipsa species, esset ex omni parte ens.

RESPONDETUR. Ex antecedenti inferri tantum posse nec ipsam speciem inadæquatè acceptam, esse ex omni parte ens formaliter, & sicut homo ut sit ex omni parte animal, id est, ut nihil sit reale in illo quod entitativè non sit animal, non est necesse ut etiam rationalitas illius sit formaliter animal, sed sufficit ut materialiter & identicè sit animal, ita etiam sufficit ut per identitatem, sint Ens differentiæ.

PROBARI solet III. Si ens non transcendit formaliter differentias, differentiæ essent formaliter non ens, adeoque nihil: hoc autem

† B

tem

tem est absurdum, quia repugnat differentiam essentialiter constitutivam non entis, esse formaliter ens; ergo commutatâ propositione, repugnabit differentiam essentialiter constitutivam entis, esse formaliter non ens.

RESPONDERI potest. Hæc propositio *differentia est formaliter Ens* falsa est, sed etiam hæc altera, *differentia est formaliter non ens*, falsa item est. Nec enim sunt contradictoriæ: quia modus *formaliter* in una propositione affirmatus non negatur in altera. Sed potius hæc erit contradictoria. *Differentia non est formaliter Ens*, quæ est vera. Cum hoc autem stat ut differentia materialiter & identicè sit Ens. Si autem formaliter esset non ens, etiam identicè rationem Entis excluderet. Ad illam paritatem quod attinet dici potest. Entis quæ entis non posse esse differentiam non ens formaliter: Entis tamen non quæ entis, posse esse differentiam, id, quod non formaliter est ens. Disparitas in hoc stat, quia Ens non quæ tale, potest per aliud differre & non per id, quod sit Ens formaliter, licet ens quæ tale, debeat differre per Ens formaliter: Si enim per hoc non differret, nullum aliud differentia suæ principium haberet; ens autem sine illa reduplicatione acceptum potest differre non per Ens formaliter, sed per Ens materialiter. *Hinc aliter.*

PROBATUR conclusio. Vel differentia condistincta ab aliis, quæ non sunt ipsa est formaliter id quod est, vel non est formaliter id quod est. Si non est formaliter id quod est: ergo contra principium lumine naturæ notum non quodlibet est quod est: Si autem differentia est formaliter id quod est; ergo habet esse formaliter quod est, ergo ulterius habet formaliter entitatem eam, quæ est ipsa; esse enim & entitas nullo modo distinguuntur: ergo ulterius est formaliter Ens illud contractum, quia per illud ens contractum non aliud intelligitur, quam ipsum esse differentia: ly *esse* nominaliter accipiendo.

Quod autem differentia secundum ultimam rationem acceptæ competat esse ens participialiter, sic probatur. Differentia ultima existit formaliter etiam secundum ultimam rationem; quia etiam secundum ultimam differentiam est extra causas formaliter: Ergo si existit formaliter etiam secundum ultimam rationem, secundum illam erit formaliter ens participialiter.

CONFIRMATUR I. Accipiamus ultimam differentiam prout condistinguitur à genere & quocunque alio, extrahamusque illam ab identitate cum aliis, ratione cuius identitatis dicitur participare rationem materialem Entis (quod suppono posse fieri ex materiâ de præcisionibus.) Quo posito, quæro, differentia ultima ita depurata, & in se præcisè spectata vel est

ens, vel non est ens? Si est ens, vel est ens materialiter vel ens formaliter? Si hoc secundum habetur intentum: si autem est ens materialiter, vel est ens materialiter ob identitatem cum eo quod est ens formaliter, & hoc non, quia supponitur præcisâ omnis identitas cum alio. Si autem ex se est ens materialiter & non ratione alius, inferam nisi velis de voce contendere, esse ens formaliter: quomodo enim est aliquid ens, & tamen ens materialiter, si non est Ens ratione alius? se ipso enim includere entitatem, est per me, esse formaliter ens.

CONFIRMATUR II. Vera est hæc propositio, *differentia ultima prout condistincta à reliquis apportat esse differentiale*: Ergo vera erit & hæc, *apportat esse*, adeoque infert ens, quia à propositione de tertio adjacente, tenet argumentatio, ad propositionem de secundo adjacente, proportionaliter accepto; Dixi proportionaliter accepto, quia non semper *est* supponit pro existit ut nec supponit in propositionibus eternæ Veritatis. Quod etiam fundatur in hoc alio principio, quia scilicet, prius est esse, quam tale esse. Ergo præsupponi debet in differentia esse differentia, & quidem differentiale esse formaliter: nihil enim est materialiter id quod est. Et cum per Scotistas nihil possit existere existentia alienâ: hinc concedunt nobiscum propriam existentiam materiæ, negant humanitatem Christi existere existentia verbi &c. consequenter negare debent esse aliquod ens entitate alienâ.

CONFIRMATUR III. Differentia prout condistincta ab omnibus quibus identificatur, sumpta in reliquis prout est à parte rei, non est formaliter Ens rationis, sed potius formaliter non ens rationis. Quod si differentia formaliter non est ens rationis, ergo formaliter habet esse, & non tantum objective, ergo debet esse ens formaliter.

Neque valet si dicas, differentiam sic sumptam, neque esse formaliter ens rationis, neque esse formaliter ens reale. Contra erit, quia hæc membra inevitabiliter, utpote consequenter contradictoria, debent convenire.

FUNDATUR. Hæc omnia ulterius in hoc discursu. Quæro; an differentia prout condistincta ab iis cum quibus identificatur habeat suam essentiam formaliter, vel non? si non habet, ergo differentia formaliter, non est differentia formaliter: non habet enim suam essentiam formaliter: Si autem differentia, habet formaliter suam essentiam; formaliter est ens; nam quid est essentia formaliter, nisi ens essentialiter formaliter. Deinde cum essentia sit conceptu nostro aliquid posterius ente; quod scilicet dividitur in essentiam & existentiam, tanquam in sui species; si differentia participat formaliter rationem essentia,

illâ

illā mediante formaliter participabit rationem Entis.

DICENDUM II. *Differentias non esse ens formaliter, accipiendo ens pro ratione communi Entis.*

PROBATUR I. Falsa est hæc propositio, *Conceptus differentia est conceptus Entis in communi*: Ergo vera est hæc contradictoria, *Conceptus differentia non est conceptus Entis in communi*, Ergo neque differentia est formaliter Ens in communi: Nam conceptus conformatur objecto; Antecedens probatur. Si conceptus differentia est conceptus entis in communi; ergo definitio differentia, est definitio Entis in communi; nihil enim intelligitur aliud per conceptum Entis quā definitio ejusdem; definitio autem differentia in communi, non est definitio entis in communi.

PROBATUR II. Si differentia esset formaliter ens in communi & esset differentia, & non esset; esset, ut supponitur: Non esset autem. Tum quia ratio differendi in communi, non potest esse ratio conveniendi in communi; esset enim quod non est. Tum quia quod est formaliter ratio communis entis, participatur à differentia. Ergo v. g. si rationalitas, quæ est differentia est ratio communis entis, participabitur à rugibilitate, quia illa est idem cum ratione communi entis. Tum quia si hoc dicatur quod scilicet ratio communis entis, sit formaliter ratio communis differentia, etiam ratio hominis, poterit esse ratio bruti, si enim semel misceri possunt definitiones, ubique & semper misceri possunt.

PROBATUR III. Quia si differentia esset formaliter ens in communi. esset Ens in communi, vel pro statu reali, vel pro statu intentionali. Non primum, quia nihil commune à parte rei existit, sed omnia particularia. Non etiam pro statu intentionali, quia pro statu intentionali indissolubiliter illa tantum sunt unum, quæ se habent sicut definitio & definitum; jam autem ita se non habent differentia & Ens in communi.

QUÆRES. *Quomodo Ens contrahatur à differentia?*

RESPONDETUR. Nullam esse veram contractionem, & quæ sit nemine cogitante; quia illa ipsa membra, non sunt distincta nemine cogitante: Quod si quæretur de contractione ex modo concipiendi, illa adhuc subdividi potest: Differentia enim ut sic accepta, contrahit Ens per ipsummet Ens, prout est ratio differendi; per differentiam autem prout est à parte rei, contrahitur Ens per ipsummet

Ens, hæc eisatum in quantum est ratio differentia.

* *

Punctum Difficultatis 2.

Respondetur oppositis.

OBJICIUNTUR I. Si differentia ultimæ essent ens formaliter, hoc ipso non essent differentia ultimæ. Quod probatur, differentia ultimæ quæ tales excludunt determinabilitatem ulteriorem, adeoque omnem rationem communem: Ratio autem entis est ratio communis.

RESPONDETUR. Conformiter ad conclusiones adlatas, quod si differentia ultimæ, essent formaliter ens illud commune & irrestrictum, hoc ipso non essent ultimæ; secus si sint ens contractum, restrictum, hoc ipso enim, quia restrictum est, commune non est.

OBJICIUNT II. Pontius. Differentia contrahens ens præter rationem entis, vel includit aliquid aliud formaliter, vel nihil? Si nihil, ergo non potest esse differentia entis nec ratio distinguendi unum ab alio: Si aliquid includit: de illo ipso quæritur, utrum includat etiam rationem entis formaliter? Si includit, dabitur processus in infinitum: Si non includit, ergo neque prior includebat.

RESPONDETUR. Hoc ipso medio termino intentum nostrum probari: differentia quæ ultima & prout condistincta ab his quibus identificatur vel est nihil: vel non est nihil? Si est nihil, ergo non potest esse differentia entis: Si non est nihil, ergo est ens prout ita condistincta; quia negatio nihili, est ens; duæ enim negationes faciunt unam affirmativam. Conformiter ad dicta in forma Respondetur. Differentiam ultimam ultra rationem contractam entis, nihil plus includere, cumque illa ratio contracta non sit ipsum nihil, poterit esse ratio distinguendi unum ab alio.

INSTAT I. Idem. Si differentia formalitas includeret ens & aliquid aliud formaliter, illud aliud potius esset differentia, quā includens ipsummet ens.

RESPONSUM. Jam, quod differentia præter ens contractum nihil aliud habeat, quæ ipsa contractio est ex modo concipiendi.

INSTAT II. Idem. Si differentia includeret rationem entis non esset ultima, quia differentia ultima est illa, quæ facit ita differre, ut ipsa non differat per aliquid aliud; sed si includeret formaliter ens, non esset talis, quia includeret præter rationem entis per quam conveniret, includeret inquam, aliquid aliud, per quod differret à reliquis.

RESPONDETUR. Si differentia esset formaliter ens illud commune, non esset ratio seipsa differendi; sed quia est formaliter ens non nisi contractum, est ipsa ratio differendi.

† B 2

IN-

INSTAT III. Si ultimæ differentia diverso respectu sunt ratio conveniendi, diverso ratio differendi, nihilo different à speciebus.

RESPONDETUR. Convenient in hoc species & ultima differentia, quia utrumque est diverso respectu ratio differendi, diverso ratio conveniendi; sed in hoc different, imprimis, quia in specie, ratio differendi ab aliis speciebus, non est ipsa ratio conveniendi cum aliis speciebus; Neque enim rationalitate homo convenit cum bruto, quæ formalitas rationalitatis, non est ipsa per ordinem ad nostros conceptus in re fundatos, animalitas, sed aliquod prædicatum ab ipsa animalitate, formaliter distinctum. Jam autem ratio conveniendi & differendi in individuatione non sunt prædicata inter se distincta. Rursus quia ita est differentia specifica ratio disconveniendi, ut non sit ratio ipsa generica per solam hæc ceitatem restricta; neque enim species constituitur, per hanc animalitatem, animalitatem ut sic contrahentem; sed contractivum longè est aliud, nempe rationalitas: Jam autem quando rationalitas specifica contrahitur, contrahitur non additione novi prædicati, extrahentis ultra essentiam rationalitatis; sed additur, non nisi hæc rationalitas, ex quo ipso modo contrahendi differt ultima differentia à specie. Denique species ita est ratio differendi, ut sit ulterius contrahibilis per ipsam individuationem; jam autem individuatione non habet ulterius quo contrahatur.

INSTAT IV. Si differentia includit ens, etiam Perseitas includit; eritque Perseitas ens per se, adeoque Perseitas erit substantia.

RESPONDETUR. Perseitatem esse ens per se non concretum sed abstractum, secus substantiam, quæ est ens per se concretum. Quod si per perseitatem intelligas subsistentiam, Perseitas erit ens per se per modum termini & complementi, adeoque non per modum substantiæ, quæ est quid complebile & terminabile.

OBJICIT III. In composito physico devenire est ad talem resolutionem partium, quantum neutra includat aliam: ergo & in composito metaphysico, consequenter in differentia resolutione devenire erit ad aliquid, quod non sit jam ens.

RESPONDETUR. Pro accidenti non esse absurdum; Si enim una pars physica non inferat aliam non incipiet esse nihil; si autem in resolutione, differentia non includat ens, erit nihil; ne ergo sit differentia nihil, deveniri non poterit ad hoc, ne involvat ens.

OBJICIT IV. Pontius. Si differentia includit formaliter rationem entis, vel includit aliam

communem entis ab eâ, quam contrahit, vel illam ipsam, quam contrahit: neutrum dici potest. Non potest imprimis includere eandem rationem entis quam contrahit, aliàs non esset contractiva; nihil enim est contractivum illius, quod formaliter includit. Non etiam aliam rationem entis, quia superflue ponerentur formalitates plures entis in unaquaque re.

RESPONDETUR. Etiam in homine animal est contractum, quæro, idemne quid est, an aliud à se contrahat? itemque dum à genere contrahitur ens. In forma autem dici potest contractionem hanc esse non nisi ex modo concipiendi; possumus autem concipere ens ut sic, & idem particulare contrahens illud commune, estque hæc contractio ex modo concipiendi. Quod si quæras, quæ illic ratio ex modo concipiendi contrahatur? dico ratio communis per rationem, sed contrahendo illam non includit secum illam superioritatem, ita ut includat superiorem illam & illam inferiorem per quam fiebat contractio, sed tantum est illam et ipsa: Quamvis autem nihil sit contractivum illius, quod formaliter includit contractione propriâ, reali & transitivâ; potest tamen esse contractivum contractione impropriâ ex modo concipiendi, & intransitiva.

OBJICIT V. idem. Nulla differentia, est illud, ratione cujus formaliter convenit alicui existere; ergo nulla differentia est formaliter ens. Consequentia probatur quia est à definitione ad definitum. Antecedens probatur. Quia formalitas ratione cujus convenit formaliter rebus omnibus existere, est ejusdem rationis in omnibus illis; sed differentia rerum non sunt ejusdem rationis.

RESPONDETUR negando Antecedens: Licet autem formalitas ratione cujus convenit formaliter rebus existere, accepta secundum rationem communem sit ejusdem rationis, non tamen accepta, secundum rationes particulares.

OBJICIUNTUR VI. Paritates aliquæ.

I. PARITAS est. Genera non includuntur in differentiis; ergo neque ens; & tamen ens mediantibus generibus, descendit ad inferiora.

RESPONDETUR. Si agatur de inclusione reali, certè genera includuntur in differentiis, si agatur de inclusione rationum communium, paritas tenet, quia sicut ratio communis generis, non est ratio communis differentia, ita nec ratio communis entis, est ratio communis differentia. Si autem agatur de hoc, quod differentia non sint formaliter genus consequenter nec formaliter erunt Ens. Disparitas erit. Quia nihil vetat Genus non includi in differentiis; vetat autem non includi ens in differentiis; quia aliàs essent nihil.

Quod

Quod autem dicitur ens mediis generibus descendere ad inferiora, hunc tantum sensum habet, quod non possit esse à parte rei; v. g. rationale nisi sit substantia; sed non facit hunc sensum, quod à quibus potest præscindi & distingui ratio generica, ab illis etiam possit præscindi & distingui ratio particularis entis.

II. PARITAS est. Ens non includitur in proprietatibus, v. g. uno; ergo nec in differentiis.

RESPONDETUR. Si proprietates sumantur in recto, includunt inclusione ut dixi intransitivè ens; sunt enim ipsum formaliter ens; sed cum variis connotatis. Secundum autem id quod dicunt in obliquo, dicunt nonnisi ordinem ad ens; Imò cum proprietas quæ est unum, dicat aliquam negationem & nihil divisionis, hoc ipso sub illa formalitate non debet dicere ens; differentia autem, non dicit pro formali nihil.

OBJICITUR VII. Si ens includeretur formaliter in differentiis, idem includeretur ne differentia formaliter accepta sint nihil formaliter: Sed hæc ratio nihil probat; quia posset dici differentiam prout præcisam ab omnibus quibus identificatur neque esse ens formaliter, neque non ens formaliter; quod ipsum probatur. Natura in statu solitudinis, neque est divisiva formaliter, sed solum indivisa formaliter, sed solum indivisa identicè: Substantia item secundum se ipsam, neque est divisibilis, neque indivisibilis: Relationes item divinæ, neque sunt à se formaliter, neque ab alio, sed identicè sunt ens à se: Ergo idem dici poterit de differentia, ita præcisa, quod neque sit ens formaliter, neque non ens formaliter.

RESPONDET I. Recentior Suarez disparitatem dat, quia nisi intelligatur differentia pro illo statu esse ens, intelligi deberet sine sua essentia reali: nam ens coincidit cum essentia reali. Si autem eo modo intelligantur, ea, quæ vult obiectio, non intelligantur adhuc sine sua essentia reali.

RESPONDETUR II. Quia si intelligeretur differentia pro statu solitudinis indivisa, nunquam divisibilis esse posset, in illo enim statu consideratur secundum essentialia sua prædicata, quæ rei ubicunque conveniunt. Hinc si in illo statu indivisibilis esset, nunquam jam dividi posset. Et è converso si in illo statu divisibilis esset, jam nunquam posset esse indivisibilis; idemque dicendum de substantia; quod absurdum non sequeretur si sit in illo statu formaliter ens differentia, quia ubique, ex alatis rationibus, est ens, rationesque allatæ ostendunt, debere differentiam esse ens. Quod attinet ad relationes divinas illæ non possunt dicere abalietatem, alioqui DEO convenire non possent: Non etiam dicunt formaliter aseitatem; quia aseitas sequitur Deitatem, quam in sua virtualitate non important relationes. Denique si sumantur relationes for-

maliter, hoc est, secundum suas rationes communes, sic nec aseitatem dicent, alioqui relatio non esset communis creaturis; nec dicent abalietatem, alioqui non convenirent DEO. Nullum autem absurdum, si ens, sit formaliter identificatum differentiis. Et rationes adlatæ probant identificationem.

INSTABIS. Duæ differentia vel conveniunt in ente vel non? Si non conveniunt, Ergo non sunt formaliter ens; si conveniunt, ergo non sunt ratio differendi.

RESPOND. Diverso respectu convenire in quantum participant ex ratione communi entis; diverso autem non convenire, in quantum scilicet reduplicativè accipiuntur, quæ scilicet differentia, & quæ, hoc ens sunt: de quo in Logica, ubi de communi conceptu differentiarum.

Punctum Difficultatis 3.

Alia argumenta contra Conclusionem.

Pensanda argumenta Mastrii Disp. 2. Metaph. num. 179.

OBJICIT I. Mastrius. Contractio & determinatio entis per modos (de quibus illum leges hinc Disp. 2. qu. 6) cum fiat ad instar compositionis & additionis, sequitur necessario, quod ratio contracta sit extra rationem contrahentis. Consequentia patet, quia etiam genus in tantum censetur esse extra rationem differentia, quia contractio generis per differentias fit per modum compositionis & additionis, & si non esset ratio contrahens, extra rationem contractam nulla fieret compositio.

RESPONDETUR. Contractio fit nonnisi rationis communis entis, quæ etiam ratio communis Entis, non includitur formaliter in differentiis, sed ratio contracta entis, quam diximus includi in differentiis, non contrahit seipsam, si non contrahit, nec distinguitur à se; cum hæc distinctio fuerit ex contractione desumpta, nec differentia est ipsum genus contractum, sed contrahit nonnisi aliam rationem, à qua etiam distinguitur; jam autem differentia est ipsum ens contractè sumptum, & sic sumptum est formaliter ipsa differentia. Per quod etiam responderetur ad Instantiam quæ illic adfertur. Directè ergo negatur, quod ratio Entis inclusa in differentia, sit quæ contrahitur per differentiam, sed est illamet ipsa, quæ seipsam non contrahit.

OBJICIT II. Præciso conceptu relationis, res non sunt formaliter relative, præciso genere quantitatis, non sunt extensæ; ergo etiam

† B ; præ-

præcisa ratione Entis à differentiis, non erunt illæ formaliter Ens.

RESPONDETUR. A differentiis præscindi posse rationem communem entis, nec differentia sunt formaliter ratio communis entis, hocque solum probat ratio adlata; sed à differentiis non potest præscindi ratio contracta entis; cum sit ipsum esse differentiarum, quod esse differentiarum, à differentiis, non præscindit.

OBJICIT III. De modis dicitur quod non sint entitas, sed entitatis modus, non esse propriè rem, sed esse modum rei; Ergo & de differentiis ultimis dici potest, quod non sint ens formaliter, sed entis.

RESPONDETUR. Quando dicitur modum non esse ens, subintelligitur raturum, sed entitatis modus, in quo nullum est absurdum, nec sequetur quod non sit modus, hoc quod est: sed si differentia non esset formaliter ens illud contractum, sequeretur quod non sit hoc quod est; esse enim illam hoc quod est, est illa contracta ratio entis.

OBJICIT IV. Si differentia aliquo modo includeret rationem entis essentialiter, tunc ejus conceptus non foret simpliciter simplex.

RESPONDETUR. Si includatur ens non nisi contractum, adhuc erit conceptus differentiarum simpliciter simplex, quia non aliud illud erit, quam ipsum esse differentia, quæ sibi ipsi, est quid simpliciter simplex.

INSTABIS. Proportionatè applicando id quod inibi adfert Mastr. si licet distinguere ens contractum & determinatum, à ratione communis entis, ponereque quod illa prior ratio entis includatur formaliter in differentiis, non verò hæc posterior, eodem jure dici poterit, genus ut sic non includi in differentiis formaliter, includi tamen rationem generis contractam.

RESPONDETUR. Neg. Sequel. Ratio animalis contracta reperitur quidem in homine, & hæc ratio contracta, ut dictum alibi non potest præscindi ab homine, sed non est necesse ipsam rationem contractam generis, includi in differentiis, quia ratio hæc contracta animalis est hoc animal, hoc autem animal non est necesse esse formaliter per ordinem ad nostros conceptus rationale, quia licet illud rationale per ordinem ad nostros conceptus non esset animal, adhuc esset quod est, adeoque esset adhuc rationale: Si autem ratio contracta entis non includeretur formaliter in differentiis, differentia non esset hoc quod est, esse enim illam hoc quod est (supple in talibus positivè, dixi positivè, nam non ens esse quod est non Ens, non est esse sed non esse) est esse illam ens formaliter.

OBJICIT V. Si differentia ultimæ includerent eas, cum non sint omnino idem, erunt

propriè differentes; quod si sunt differentes; aliis differentiis different; de quibus rursum quaeritur an includant ens, & ita dabitur processus in infinitum in differentiis, vel devenietur ad aliquas omnino non includentes ens quidditative.

RESPONDETUR. Cum differentia ultimæ includant ens formaliter, restrictum & contractum, erunt adhuc non differentes aliis differentiis, sed se ipsis; si se ipsis, different adhuc illo ente contractè & determinatè sumpto; cum illudens contractè sumptum, sit illud se ipsum differentiarum.

INSTAT. In compositione physica ita fit resolutio in actum ultimum & potentiam ultimam, ut nihil potentia includatur in actu, & è contra; Ergo & in compositione Metaphysica ita contingit, ut compositum hoc resolvatur in conceptum determinabilem tantum, qui est entis, & determinativum tantum, qui est ultimæ differentia.

RESPOND. Ex ente ut sic, & ex ratione differentia fit compositio Metaphysica: Vnde & resolutio Metaphysica in hæc duo datur, sed ex ente contractè sumpto quod est ipsum esse differentia, & ex differentia non est compositio Metaphysica; quia nihil componitur ex se ipso, consequenter non debet fieri resolutio ut maneat differentia, sine ratione entis contractè sumpti. Disparitas etiam ex dictis assignari potest quia nullum absurdum est, si actus non sit potentia, potestque esse actus in suo esse, non includens potentiam; non potest autem esse differentia, sine esse differentia, adeoque sine ratione entis, contractè sumpti.

OBJICIT VI. Saltem ens non includitur in suis passionibus; quia subiectum quod est ens ex 7. Metaph. tex. 17. & 19. cadit in definitione passionis ut additum, jam autem quod definitur per aliud, tanquam per additamentum, non est de ipsius quidditate.

RESPOND. Ex eo quidem quia ens ponitur in definitione passionum ut additum, non colligitur, quod sit de essentia illius: ad eum modum, quo dicitur accidens esse subiecti, subiectumque non est de essentia accidentis; ex alio tamen capite sunt adhuc ens, quia etiam passionibus sunt quod sunt; & hoc quidem procedit de veritate & bonitate, nam de unitate non sumpta secundum id quod dicit in recto non potest dici quod sit ens, nisi illud latiori modo, prout se extendens etiam ad negationes explicando unitatem per negationes secundum communiora principia.

INSTAT I. Propositiones non convertuntur ita, quod si prædicatum dicatur de subiecto per se, non tamen è contra subiectum dicetur per se de prædicato; ergo ista est per se, Ens est unum, hæc alia, unum est ens, non poterit esse per se primi modi, sed quasi per accidens.

RE-

Punctum Difficultatis 1.

RESPOND. Quod unum non sit ens rigorosum, ut dictum supra. Sed promovendo argumentum de bonitate & de veritate dici potest, quod non eodem quidem modo passionibus dicuntur de ente, ac ens de passionibus, non sequitur quod passionibus non sint ens, sed quod alia sit comparatio illarum ad ens, quam entis ad illas. Quamquam dici potest quod hæc doctrina procedat de ente secundum rationem irrestrictam sumpto.

INSTABIS II. Ens adæquatè dividitur in increatum, & decem prædicamenta, tanquam in ea, de quibus quidditative prædicatur; passionibus autem ejus non sunt ens increatum, nec aliquid ex decem generibus, & cum æquè pateant sicut ipsum ens, hoc ipso ens, non poterit prædicari de suis passionibus velut de inferiori.

RESPOND. Id verum esse de ente contractè & determinatè sumpto, quod non est superius respectu passionum. An autem possit abstrahi à passionibus ratio entis ut sic, adeoque evadere illis universalior, alibi dicitur. Multi etiam negabunt, adæquatam esse hanc divisionem.

INSTABIS III. Si passionibus Entis ens includunt, utique non includunt ens solum. Sed etiam aliquid aliud; alioquin idem esse passio sui ipsius, tunc queritur de illo alio, an rursus includat ens, & sic in infinitum procedemus, vel sistendum in aliquo non includente ens, & talis erit propriè passio entis.

RESPOND. Passionibus non includunt ens contractè sumptum, sed sunt illud ipsum, nec sunt passionibus entis contractè sumpti, quia nec sunt passionibus sui ipsius; sed tantum sunt passionibus entis, secundum se sumpti. Quam ipsam rationem communem cum contrahunt passionibus non contrahunt contractione exclusivâ in se aliorum contrahentium, quasi scilicet veritas non sit bonitas, cum tamen rationalitas non sit irrationalitas, contrahunt tamen per additionem prædicatorum.

OBJICIT VII. Modi per nos sunt ens entitate alterius; ergo idem dici poterit de differentiis ultimis, quod sint ens identicè non formaliter.

RESPOND. Secundum principia aliàs prædicta Negatur Antecedens.

DIFFICULTAS III.

De Conceptu entis secundum se.

Querendum hic imprimis erit: An possit dari conceptus entis perfectè unus? Deinde, an hic conceptus sit univocus an analogus: Unitatem conceptus entis adstruunt Suar. uterque, Afriaga, Ovied. cum Scotistis. Negat Vasquez Fonseca cum Thomistis. *Sic*

An possit dari conceptus Entis perfectè unus?

DICENDUM est. *Posse dari conceptum Entis perfectum unum, h. e. ita præcisum à differentiis, ut nulla in eo ex parte objecti intentionaliter accepti, reluceant differentie.*

PROBATUR I. Potest dari conceptus animalis perfectè unus, ut supponitur ex materia de Præcisionibus: Ergo poterit dari & entis conceptus perfectè unus ut circumscribitur: Disparitas quæ solet peti ex Analogia infra attingetur.

PROBATUR II. Quando ego dico, *Deus est ens; Creatura est ens*, quæro, an sub objecto prædicati quod est *Ens* dicti de DEO involvatur creatura vel non? si involvitur; ergo falsa est prædicatio, quia Deus non est ens involvens aliquid creatum, nec subiecto inest prædicatum, cum prædicatum involvat aliquid creatum, subiectum autem nihil involvit creatum. Si autem in ente dicto de Deo non involvitur creatura; Ergo jam ille conceptus præscindit à creaturâ. Simile argumentum formetur ad probandum quod ens dictum de creaturâ non involvat Deum, habebiturque intentum; nempe quod ens præscindat à creato & increato. Idem iudicium & argumentum formetur de aliis differentiis.

RESPONDEBIS I. Ens dictum de Deo non importare nisi entitatem particulariter acceptam, ita ut sensus sit, *Deus est aliquod ens.*

CONTRA. Tum quia animal dictum de inferioribus non singularisatur in prædicando ut probatur in Logica; ergo neque ens singularisabitur. Tum quia prædicatio hæc, *Deus est ens*; vel est prædicatio rationis superioris de inferiori, vel non est? Si est. Ergo ut salvetur rationem superiorem prædicari, dicta propositio hunc sensum facere non poterit, *Deus est aliquod ens.* Si autem non est prædicatio superioris de inferiori; Cur non? Tum quia. Ens est superius Deo & creaturis; non esset autem superius, si non diceretur tanquam superius, negatio enim dictionis tanquam alicujus superioris, argueret negationem esse superioris; nam dici, sequens ad omnia esse, ostendit conditionem esse. Quod autem ens sit superius Deo & creaturis, vel ipsa categoria entis ostendit.

RESPONDEBIS II. Ex parte objecti respondere illic differentias, sed illas non attingi ab actu formali, nec discerni.

CONTRA sunt illa omnia quæ in simili dicuntur in universalibus & in materia de præcisionibus. Propositio etiam hæc, *Deus est ens*, non tantum est vera ex parte actus formalis,

† B 4 sed

sed etiam est vera ex parte objecti: falsa autem est ex parte objecti, si objectum ex parte sua importaret differentias, ut vidimus immediatè.

PROBATUR III. CONCLUSIO. Si conceptus entis importaret differentias impossibile esset aliquid esse ens; hoc autem absurdum est. Sequela probatur. Si animal quantum est de se importaret rationale impossibile esset, Leonem esse animal. Quod probatur, impossibile est Leonem esse rationale, ergò & impossibile esset esse id quod importat secum, quod est rationale. Hæc autem tota ratio probat simul, quòd si conceptus entis objectivus importat differentias, non posset esse aliquod ens, quia non posset importare omnes illas differentias, adeoq; nec involvere id, quod importat omnes differentias.

RESPONDEBIS. Animal ita contrahi, itemq; Ens ad differentias, ut non tota illius ratio contrahatur, sed tantum in quantum importat Rugibile.

CONTRA. Quia si potest ita contrahi ens, ut non contrahatur nisi in quantum est rugibile. Ergò multò magis præscindere, poterit ab omnibus aliis differentiis; minus enim potest contractio, quàm præcisio intentionalis. Deinde hoc ipso concederes distinctionem virtutalem in ordine ad prædicata physica in Creatis: quia distinctionem in ordine ad contrahi, & non contrahi.

CONFIRMATUR CONCLUSIO. Posito quòd ex parte objecti respondeant in ente differentia, quæro an definitio Entis sit definitio rationalis v. g. vel non? Si non, ergò ex parte objecti præscindunt; nihil enim aliud intelligitur per objecta quæ inter se præscindere possunt, nisi objecta, quæ definitionibus differunt: Si autem definitio Entis est definitio rationalis? Ergò cui competet esse ens, eidem competet esse rationale, quod falsum est.

OBJICITUR I. Differentia non possunt separari à ratione Entis. Ergo nec potest fieri præcisio ex vi cuius differentia maneat sine ente; Ergò nec præcisio fieri potest ex vi cuius ens, non maneat in differentiis; Ergo ulterius ex vi cuius præcisionis, ens, sit separatum à differentiis: si enim esset separatum à differentiis, differentia essent sine ente, sine ente autem esse non possunt propter dicta supra.

RESPONDETUR. Conformiter ad jam dicta. Rationem entis in differentiis dupliciter spectari posse. 1. Rationem contractam. 2. Rationem communem fundamentaliter ut dicitur in Logica. Prior illa ratio præscindi non potest, ut dicitur in Logica, cuius insuper hæc ratio reddi potest, quia ratio contracta quæ talis, si capax esset præcisionis quæ talis, fieret communis, quæ talis; quæ talis autem non potest fieri communis: sicut enim rationale non potest fieri brutum; ita nec contractum quæ tale,

fieri potest commune. Quod autem fieret tunc illa ratio communis exinde colligitur, quia separata ab aliâ comparte, non esset unde jam contraheretur. Quod si non potest separari ratio contracta entis à differentiis, quantumvis ratio communis entis separaretur à differentiis, manebunt illæ ens, ratione entitatis contractæ, inseparabilis ab iisdem.

INSTABIS. Definitio universalis, est definitio particularium; ergò & definitio entis ut sic, erit definitio differentiarum? sed nihil per nos potest præscindere suâ definitione; ergò nec potest præscindere ab ente & è converso.

RESPOND. Certum esse quod ratio communis entis, non sit ratio communis differentiarum; aliàs cui conveniret ratio communis entis, conveniret etiam ratio differentia, quod falsum est. Si autem ratio communis Entis, non est ratio communis differentiarum non possunt inter se comparari sicut definitio & definitum. Directè autem ad Argumentum hoc dici potest; scilicet dupliciter particulari sub aliqua ratione universali spectari posse. 1. Ut inferiora, ut ita dicam, ejusdem rationis: Sic animal est universale & definitio illius est definitio Petri in quantum est animal. 2. Ut inferiora diversæ rationis, tale inferius est Petrus, Bucephalus, quæ talis contentus sub animali. Quo posito verum est definitionem universalem, esse definitionem particularium ejusdem rationis, sed non esse definitionem particularium diversæ rationis: Ita etiam definitio entis est definitio differentiarum ut ens sunt, sed non quæ differentia sunt.

OBJICITUR II. Non potest dari ratio communis sapientia creatæ & increatæ, ergò nec ratio communis enti creato & increato. Antecedens probatur. Ratio communis sapientia creatæ & increatæ, vel esset distincta realiter, vel per rationem à ratione communi justitia. Si per rationem, ergò non est communis etiam creatæ, quia creatæ sapientia distinguitur realiter à creatæ justitia: Si autem est distincta realiter, ergò non est communis etiam sapientia, itemque justitia divinæ, quia hæc in increatis distinguuntur nonnisi per rationem.

RESPONDETUR. Rationes communes spectari posse dupliciter, primò accipièdo illas pro ipsa cognitione formali & actu intellectus nostri, & sic acceptæ sunt distinctæ realiter; quia & nostræ cogitationes sunt distinctæ realiter: & hæc acceptio conceptuum communium, illorumque distinctio, nihil confert ad præsens. 2. Possunt accipi rationes communes objectivè, prout, scilicet sunt objectum illarum notitiarum. Et sic neque sunt distinctæ realiter, neque per rationem propriè: Non sunt distinctæ realiter, quia distinctio realis vel est in statu physico, vel nonnisi per ordinem ad illum

illum habetur: Jam autem rationes communes ad statum Metaphysicum spectant. Deinde distinctio realis est distinctio rerum; hinc pro priori debet aliquid prius præsupponi, quod sit res, & pro posteriori, quod sit distinctum realiter. Quia ergo rationes communes, non fuerit res; nam esse rem, est prædicatum physicum, & statum Physici, pro quo statu non sumuntur tunc rationes communes: Unde etiam rationes communes sunt essentialia rerum, essentialia autem rerum, sunt æterna & tamen nulla res est ab æterno præter Deum: Apparet ergo rationes communes non posse dici res, adeoque nec distinctas realiter. Non etiam pro illo statu rationes communes sunt distinctæ per rationem, quia nemine cogitante ratio communis huius, non est ratio communis illius; licet enim ipse status communitatis, non habeatur nisi dependenter à nostris intentionibus depurantibus differentias; illis tamen depuratis, & in illo statu constitutâ ratione communi, sive ego id cogitem, sive non cogitem, distinguuntur illæ inter se; in quo etiam sensu dicimus illas distingui ex natura rei, & quidem nomine cogitante, postâ tantum cognitione, quæ illas res statuât in statu illo intentionali, in quo, ex naturâ rei res spectantur. Ulterius quod illæ rationes communes neque realiter neque ratione propriè distinguantur in hoc principium referri debet; quia rationes illæ communes nihil aliud sunt nisi ipsa prædicata essentialia, quia ergo prædicata essentialia sapientiæ nec exigunt distinctionem solius rationis à iustitia, nec etiam nonnisi realem propter rationem in objectione allatam, sit, ut pro illo statu rationes communes, nec sint distinctæ realiter, nec per solam rationem. Licet autem non teneam distinctionem mediam inter realem & rationis sensu aliâ dato, teneo tamen distinctiones multas, quæ partim sunt revocabiles ad realem, partim ad rationis distinctionem.

INSTABIS. Ex hoc adhuc non posse dari rationem communem sapientiæ creatæ & increatæ, adeoque nec rationem communem entis communis Deo & creaturis, quia ens dividitur immediatè in creatum & increatum, ergo antequam intelligatur descendere ad sapientiam, intelligitur jam contracta, ad ens creatum vel increatum: Ergo non potest intelligi indifferens ad sapientiam creatam & increatam.

RESPONDETUR. Divisiones entis varias haberi posse, pro multiplici modo concipiendi ens, & ejus identificationem; ita ut in uno genere divisionis, sic, & in alio aliter concipiatur descendere. Hinc in alia divisione poterit concipi sapientia indifferens ad esse creatæ vel increatæ: Eamque sic format Oviedo: Ens aliud est intellectivum aliud, non intellectu-

vum: Rursus intellectivum aliud est habituale aliud actuale: Rursus actuale aliud est apprehensio seu non sapientia, aliud est sapientia: Rursus sapientia alia creatæ, alia increatæ. En indifferens sapientiam in divisione entis, indifferens, inquam, ad esse creatæ vel increatæ. Dicitur etiam posset quod pro statu physico non sit sapientia indifferens ad esse creatæ vel increatæ, non tamen pro statu metaphysico.

OBJICITUR III. Analoga attributionis v. g. sanum non habent conceptum perfectè unum: ergo necque Ens.

RESPONDETUR. De duobus in præsentia quæri posse, an Analoga attributionis possint habere conceptum perfectè unum ad particularia analoga attributionis, v. g. ad sanum, & ad aliud, simile, v. g. calefactivum, dictum de hypocausto, de pellibus, de cibis &c. & sic possunt habere conceptum perfectè unum, hoc est, talem, in quo nec sanum nec calefactivum reluceat. Si autem sit quæstio, an ipsum sanum unâ cum suis Analogis sumptum possit habere conceptum perfectè unum, hoc jam negabitur, importat enim plura. Applica id ad præsens, nempe Ens posse habere conceptum perfectè unum, si sumatur tanquam ratio communis ad inferiora, licet non habeat conceptum perfectè unum, si sumatur unâ cum suis differentiis. Adde ex Mastrio idem sentiente de analogia attributionis Disp. 2. Log. n. 73. non habere quidem conceptum communem, in quo advenitur hæc analoga, habere tamen connexionem rationum particularium secundum esse objectivum: habent enim inter se habitudinem qualem non dicunt æquivoca, prædicaturque analogum de pluribus non secundum unam rationem, sed secundum diversas, habitudinem tamen licet diversam, habentes. Adde ulterius sicut definiuntur relativa quæ habent conceptum perfectè unum respectu particularium relativorum; ita tamen ut ipse conceptus relativi dicat Aliud, est enim ad aliud: ita analoga attributionis ad particularia analoga habent conceptum perfectè unum; licet ipsum in se non sit unum, si secundum diversas habitudines spectetur.

Argumenta Reliqua in contra.

Perfringo hic Objectiones, quas colligit Mastrius Disp. 2. Met. à num. 40.

OBJICIT IV. Pasqualius, Ens non est quid superius ad Deum, & ad creaturam, ergo nec conceptus illius est unus. Antecedens probat. Tota ratio entis reperitur in Deo, ergo nequit esse quid superius Deo, & creaturæ, quia ratio superior, est universalior quocunque inferiori, quare non debet talis ratio reperiri in uno tantum extremo, sed debet excedere. Quod autem tota ratio entis reperia-

tur

tur in Deo, probatur, quia Deus est ens per essentiam, nimirum tale ens ut nequeat esse aliquid ens nisi participando de hoc esse per essentiam: cum ergo Deus sit ens per essentiam, tota ratio entis reperitur in ipso.

RESPONDETUR. Negando Antecedens cum sua probatione: quamvis autem Deus sit ens per essentiam, tota ratio entis reperitur in ipso causative, tanquam in causa primâ reliquorum entium: sed non tota participative: cur ergo à Deo & creaturis tanquam participativis entibus non poterit ejusdem entis, dari abstractio?

INSTAT I. Ratio communis ita se habet respectu inferiorum, ut immediate descendat ad ipsa, at ratio entis non descendit immediate ad Deum, & creaturas: sed prius est in Deo, ut propria illius, deinde creatura participat esse ab ipso ut Deus est: Ergo nequit esse quid commune Deo & creaturæ.

RESPOND. Majorem esse veram de ratione communi univoca, non autem analogâ: nam in analogis, datur aliquid principale, participativum rationis communis.

INSTAT II. Ens ponitur contrahi ad Deum, & creaturam per infinitum & finitum, & prius ad Deum, quam ad creaturam: ergo jam tota ratio entis totaliter à Deo absorbebitur: quia infinitas est modus totalitatis, ita ut contrahat totum, & totaliter, aliâs finitum esset, aliquid enim remaneret, quod non contraheret.

RESPOND. Imprimis ex dictis quod detur divisio entis non immediate in finitum & infinitum, ut dictum supra: sed casu quo dividatur immediate in finitum & infinitum, non sequitur adhuc intentum argumenti: imprimis quia licet contrahatur Ens per infinitum, vere tamen dividitur adhuc ens in infinitum & finitum, si dividitur, debet in illo contineri: nullum enim divisum per hæc dividitur, in quibus non continetur. Rursus quamvis Deus verè physice sit infinitus, nihil obest quominus adhuc creaturæ verè physice sint ens, nec per hoc destruitur infinitudo divina, etiam si præter illud sit aliquid ens finitum, idque realiter & physice existens, multò magis non destruitur infinitudo divina, pro statu divisionis Metaphysico, quantumvis intelligatur etiam creatura ens. Directè ergo ad argumentum dici potest, per prius, hoc est, tanquam per dignius contrahi ens ab infinito, causalitate & excellentiâ quàm à finito & dependente: quâ contractione posita excluditur quodcumque aliud ens à ratione causæ primæ omnium, sed non excluditur contentivitas generis divisi in inferioribus: nec esset Deus infinitum quid in genere causæ primæ: si quid præter Deum esset causa prima: erit tamen infinitum in genere entis, quamvis dentur creaturæ, quæ sint entia.

OBJICIT V. Cum ratio communis ad in-

feriora descendit, per oppositas differentias dividitur, quæ se invicem excludunt, & non est una causativa alterius: quia tunc non essent simul naturâ, sed una supponeret rliam: at tota ratio creaturæ continetur in Deo eminenter, & ab ipso causatur: ergo non potest esse ratio divisiva entis, ita ut sit differentia, opposita, cum Deitate, respectu entis ut sic.

RESPONDETUR. Quando ratio communis dividitur per oppositas differentias, debent se illæ excludere quoad modum participandi rationem divisam, sed non excludere quoad participationem rationis divisæ: quæ hic est ens, adeoque à dividendibus membris participabile. Rursus si sit divisio in membra altissima, & suprema, pro statu quidem divisionis, non erit unum membrum causativum alterius, quia hic hæc omnes rationes præscindi possunt: potest tamen esse causativum, pro statu physico: deinde etiam causans & causatum quoad relationem possunt esse simul naturâ, cur ergo sic in præsentī non ponentur? Adde possum benè dividere ignem in genitum & generantem, ex quo sequitur posse unum membrum divisionis, esse causam alterius.

INSTAT I. Ratio communis enuntiari potest indifferenter de quocumque inferiori, sed non potest enuntiari de Deo & creatura ens, quia aliâs esse participatum prædicaretur de Deo, & esse imparticipatum de creatura.

RESPOND. Cum illud ens abstrahatur à participato & participante, non sequitur, quod ratio participata, prædicanda sit de Deo.

INSTAT II. Ratio communis saltē explicite non dicit differentiam inferiorum, at nihil potest concipi in Deo & creaturâ, quod sit extra esse creatum & increatum: nam creatura, etiam secundum primam rationem entis, quâ constituitur, est quid participatum à Deo, & non tantum accipit tale esse, sed etiam esse.

RESPOND. Creaturam etiam secundum primam rationem entis physice spectatam esse quid participatum, physiceque accipit non tantum tale esse, sed etiam esse. Cæterum creatura, secundum primam rationem entis metaphysice spectatam, non est quid participatum, nec ad illud esse ut sic, pro illo signo, terminatur actio divina.

INSTAT III. ex Scoto. Naturas quoque universales concomitanter produci, cumque ratio participati adæquet totum esse creaturæ, & ratio imparticipati, totum esse Dei, fit ut omnis formalitas in eis reperta, sit talis vel talis.

RESPOND. Naturas universales ut sunt in singularibus concomitanter produci, sed non spectatas in statu Metaphysico: & præcisas, ratioque participati adæquat totum esse creaturæ physice spectatæ, sed non spectatæ metaphysice, quia de illa dici potest, ratio, præscindens ab esse participato.

OBJICIT

OBJICIT VI. Deus & creatura non conveniunt in ratione communissima Entis; quia quæ reperitur in creatura est intrinsecè participans; quia etiam esse & non tantum tale esse, accipit creatura à Deo: ratio autem entis in Deo est participata.

RESPOND. Rationem communissimam, si physice spectetur, esse participantem, secus si spectetur Metaphysicè, & pro statu præcisionis.

INSTABIS I. Ratio entis quæ præcincide dicitur à Deo & creaturâ, vel est ab alio vel à se; si à se, est imparticipata; si ab alio participata.

RESPOND. Rationem illam præcisam, si physice spectetur, esse vel à se vel ab alio, sed ab his, metaphysicè spectata, præcincidit.

INSTABIS II. Esse ens, est habere esse; implicat autem concipere habere esse, quod neque sit à se neque ab alio.

RESPOND. Licet implicet concipere habere esse, quod physice neque sit à se, neque ab alio, sed non repugnat concipere habere esse sumptum pro ratione essendi, quæ metaphysicè neque sit à se, neque ab alio.

INSTABIS III. Deus secundum totum suum esse adæquatè sumptum, est simplicissimus; ergo & ipsa formalitas entis ut sic in Deo, erit de se, hæc; & si potest ratio entis à singularibus præcindi, sequitur quod est in Deo, posse non esse Deum: Si enim ratio entis quæ reperitur in Deo non sit hæc, sed indifferens ad Deum & creaturam, in quantum est de se, poterit esse in creatura, & sic non esset Deus, nisi extrinsecè & per accidens.

RESPOND. Deum secundum totum suum esse physice spectatum esse simplicissimum; sed non metaphysicè & secundum præcisas rationes spectatum, sequeturque quod aliquid quod est in Deo metaphysicè præcissione, possit non esse Deus, non tamen physice, eritque illa ratio physice, adeoque non extrinsecè Deus, sed metaphysicè potest depurari ab esse Dei, quæ depuratio est extrinseca rei physice spectatæ, & per accidens: oppositum ergo potius sequitur quod per se sit Deus, per accidens non Deus.

OBJICIT VII. Sequuntur ex hac sententia absurda.

I. Sequitur aliquid esse prius & simplicius Deo; realitas enim constituens, est prior & simplicior re constitutâ.

RESPOND. Esse aliquid prius metaphysicè & simplicius Deo, sed non prius & simplicius realiter & physice.

II. Absurdum. Sequitur in Deo dari compositionem metaphysicam.

RESPOND. Cum illa compositionem non sit futura actu nemine cogitante, sed per opus intellectus; hinc cum fundamento in re, concedimus in Deo talem compositionem.

III. Absurdum; Sequitur non distare Deum

& creatum in infinitum, & non esse primò diversa.

RESPOND. Distabunt Deus, & creatura infinite physice & erunt primò diversa physice, licet non primò diversa metaphysicè: hæc enim primò diversa physice & simul metaphysicè sunt ens & non ens. Jam autem creaturæ non competit ut sit non Ens, sed ut sit Ens ab alio, si competit esse Ens creaturæ, non erit Non-Ens, si non erit Non-Ens, non erit primò diversum quid, à Deo.

IV. Absurdum. Sequitur dari medium inter contradictoria, nempe creatum & increatum; tale enim medium erit illa ratio.

RESPOND. Creatum & increatum si sumatur Ly increatum negativè sunt contradictoria, sed tunc Ly increatum non supponet pro Deo solo, & ad hoc membrum nempe Ly increatum negativè sumptum, revocabitur ratio communis Entis, consequenter non erit quid medium inter contradictoria: sed si Ly increatum sumatur positivè, erit inter creatum & increatum, medium quid, Ratio communis Entis; non est autem absurdum, dari quid medium inter duo membra positiva contraria. Advertit etiam Mastrius, quod illa ratio à creato & increato contingenter & necessariò præcincidat, & quod sit neutrum formaliter, utrumque; permissivè; & addit: ut passim dicitur de aliis conceptibus communibus, respectu contrahentium.

V. Absurdum. Dari aliquid independentius Deo, nam rationes superiores non dependent ab inferioribus.

RESPOND. Dari aliquid Metaphysicè independentius Deo; sed non physice: quamquam nec metaphysicè dabitur aliquid magis independentius Deo, nomine independentis intelligendo causam physicam primam, hoc enim soli Deo competit.

Punctum Difficultatis 2.

An Conceptus ille entis sit Analogus?

PRæcipuum fundamentum negandi unitatem conceptus representativi entis ut sic, est istud, quod scilicet Ens sit analogum, adeoque, unum perfectè conceptum, habere non possit; eò quod ille conceptus sit ratio conveniendi & differendi, quod autem est ratio conveniendi & differendi, non est perfectè unum. Sed hoc fundamentum duplici ratione invalidari potest. I. Dicendo quod quamvis ens analogum esset, posset tamen habere conceptum perfectè unum, quia nihil est magis analogum ipsâ analogiâ, & tamen hoc non obstante, analogia habet conceptum perfectè unum. II. Negando ens, analogum esse cum Scotistis, contra quos sentiunt Thomistæ non pauci. Tentando insuper aliam viam.

DICEN-

PROBATUR I. Quia si ens pro statu illo esset analogum, esset analogum, vel propter dependentiam, quia scilicet per prius participatur à Deo, per posterius à creatura: vel esset analogum propter transcendentiam: neque enim sunt alii ens analogandi modi: neutro modo pro illo statu præcisionis est analogum. Ergo pro illo statu non est analogum. Quod propter dependentiam non sit analogum. Probatur. Tum quia hæc dependentia solum est pro statu physico, & reali; nam ens absolutum in statu præcisionis, sola primò essentialia importat, dependentia autem illa, non importatur tanquam quid essentialia, saltem primò, ab Entibus absolutis. Tum quia non est ratio cur genus aliquod divisum, non possit concipi sine membris, in quæ dividitur. Tum quia ut ait Oviedo dependentia secundum se, non importat analogiam, quia à potentia vitali actus dependet, item forma materialis à materia, & hoc non obstante, univocè de illis ratio materialis dicitur. Quod propter transcendentiam non sit ille conceptus analogus, probat non paucis Ariaga. Quæ refutavit Oviedo Controv. I. Metaph. L. 7. num. 7. Sed intentum sic probatur. Ens in statu, & pro statu præcisionis, non dicit ullam transcendentiam: ergo in illo, & pro illo statu per transcendentiam analogari non potest. Antecedens probatur. Pro statu præcisionis abstrahit à differentiis, ut probatum supra, ergo & abstrahit à transcendentia differentiarum: aliàs si non abstraheret à transcendentia differentiarum, & abstraheret à differentiis & non abstraheret.

PROBATUR II. Posito quòd possit fieri conceptus unus entis, ut dictum supra, conceptus ille non potest dicere pro illo statu prioritatem & posterioritatem, itemque transcendentiam; consequenter nec dicit analogativum entis. Sequela probatur. Quia si pro illo statu diceret Ens prioritates & transcendentias, essentialis illa esset Enti; nam pro illo statu sola essentialia dicit ens, sed non est enti essentialis illa prioritas & transcendentia: quia quod est essentialia enti, ens ubique illud secum trahit; sed rationem posterioris v. g. non ubique secum defert; quod probatur: quia ratio illa posterioris est ratio creati, hæc non ubique secum defert, quia non defert illam ad, & in Deitatem, aliàs esset aliqua ratio in Deo, quæ ex essentia sua, esset creata.

PROBATUR III. Antequam ens habeat rationem prioris & posterioris &c. aut illam exigat, vel habet per quid constituitur illud ipsum exigivum, vel non habet? si non habet quidquam, quomodo est exigivum illarum rationum? si habet quidquam; quæro illud ipsum, vel dicit rationem prioris & posterioris; vel non dicit? Si dicit, ergo antequam dicat rationem prioris & posterioris, jam illam dicit: si autem

pro illo priori antequam dicat exigentiam prioris & posterioris, non dicit rationem prioris & posterioris; ergo pro illo priori non est analogum; quia non habet principia analogativa. Jam autem in statu præcisionis spectatum ens, est illud, quod antecedit differentias prioris & posterioris.

RESPONDEBIS. Quòd illud exigivum habeat antecedenter, rationem exigivi radicaliter, non formaliter.

CONTRA. Potest præcindi ab ente ratio exigivi formaliter, ergo & ratio exigivi radicaliter, sumpta respectivè.

OBJICITUR I. Auctoritas Aristotelis, qui ens appellat Analogum 4. Metaph. c. 7.

RESPONDETUR. Problematicum fuisse in hac materia Aristotelem 7. enim Metaphysicorum c. 4. tractans de Ente ait: *Sed hæc, inquit, quidem quomodocumque dicere quis velit nihil refert.* Quando verò per prius dicit ens participari à substantia, quam ab accidenti, agnoscit prioritatem dignitatis, sed hæc non fundat analogiam; nisi illam quam appellavit Cajetanus inæqualis perfectionis, & sicut inæqualiter quoad dignitatem & perfectionem participatur animal à rationali, quam à grunibili; nihilominus animal univocum est; ita & in præsentia, quam etiam solam analogiam admittit S. Thomas, nisi velis absolute concedere illum fuisse in opposita sententiâ.

OBJICITUR II. Si ens non est Analogum, sequitur respectu Dei & creaturarum dari Genus, nempe Ens vel substantiam.

RESPONDETUR. Expresse S. Damasc. in Element. c. 8. docet. Substantiam, esse Genus respectu Dei & creaturarum. Posset etiam dici, ut vult Pontius, ens respectu Dei non esse genus in quantum Genus dicit aliquam limitationem & imperfectionem: vel denique quando negatur dari genus commune Deo, & Creaturis, res est de genere quod sit & Creaturis, & Deo proximum, non autem de generibus remotis.

OBJICITUR III. Ex nostra sententiâ sequitur etiam æquivoca habere conceptum univocum: quia quando concipio *Ly risus* nullæ apparent differentie.

RESPONDETUR. De hoc alibi in materia de æquivocis actum, & in materia de conceptu uno individuorum; quamvis autem in conceptu *Ly risus* nullæ apparent differentie; quia tamen ratio risus prædicabilis de inferioribus, non est ratio præse una definitione definibilis, nec est ratio risus abstracta à convenientibus à parte rei in aliquo reali prædicato; ideo risus sic sumptus, est Analogus. Jam autem Ens pro statu præcisionis sumptum, est una definitione definibile.

INSTABIS. Sequi saltem ex hac doctrina nulla dari prædicata transcendentia.

RESPONDETUR. Dari aliqua prædicata tran-

transcendentia; quia dantur, quæ etiam de differentiis dici possunt in sensu formali, quomodo animalitas in sensu formali, non dicitur de rationalitate.

Aliter eidem difficultati respondet Arriaga, dari prædicata transcendentia, quia dantur prædicata universalissima, quæ continent sub se alia genera; ita ut illud genus quod non continet sub se aliud genus, dicatur non transcendens.

OBJICITUR IV. Ratio entis ut contracta in differentiis est diversa: Ergo ratio entis, non est omnium eadem.

RESPONDET Oviedo distinguendo consequens. Ergo ratio entis sub nomine entis, non est eadem, Nego: sub nomine differentiarum, concedo.

Ex prædictis jam fundamentis dici potest; rationem entis pro statu præcisionis præcisè esse eandem, non extrà, secundum explicanda.

OBJICITUR V. Enseo modo est participabile, quo illud differentia participare possunt, sed differentia illud non nisi inæqualiter possunt participare; ergo & illud est non nisi inæqualiter participabile, adeoque analogice.

RESPOND. Imprimis argumentum multum probare. Probat enim animal esse analogum, quia illud non æqualiter participatur à talpâ & homine. Deinde videtur procedere à non supponente, supponit enim quod pro statu præcisionis importet participabilitatem actualem, à qua præscindit in illo statu. Denique dici potest in æqualitate entis, sub ratione entis omnia convenire, sed non convenire sub ratione alijs nominis, essetque in æqualitatem sub nomine differentiarum.

DICENDUM est II. *Analogiam entis non posse desumi ex statu reali entis.*

PROBATUR I. Differentia quas importat animal pro statu reali non destruunt ejus univocationem, ergo nec differentia pro statu reali importata ab ente, destruunt ejus univocationem: vel si mavis dicere, animal pro statu reali identificatur differentiis, nec ejus univocatio desumitur à statu reali: ergo nec analogia entis desumitur à statu reali: ita enim in statu reali identificatur differentiis, sicut & ens.

RESPONDEBIS. disparitatem esse. Quia in statu reali, tota differentia desumitur animalis ex differentiis.

CONTRA est. Quia etiam tota differentia entis non ex ente, sed ex tali differentia desumitur.

PROBATUR II. Nec univocatio nec analogia debet attendi penes statum realem; ergo quamvis pro statu reali dicat ens differentias, non inde debet argui esse analogum. Antecedens probatur. Quia penes illum statum & univocatio & analogia est spectanda, penes quem statum importat rationem communis; quia tam analogum quam univocum, definitur per Ly ratio communis, ratio autem communis non habetur in statu reali.

PROBATUR III. Ex hoc ipso quia analogia, univocatio, æquivocatio, dicitur importare commune nomen, jam involvitur mentis nostræ ope-

ratio, & non præcisè status realis; nam nomen commune importat impositionem humanam, quæ actum intellectus, secum trahit. Quia tamen ordinariè apprehenditur ens tanquam quid analogum, ut hoc explicetur, sit

Punctum Difficultatis 3.

Quomodo salvari possit Analogia Entis?

DICENDUM est. *Ratio illa quæ fuit abstracta, si comparatè sumatur ad ea, de quibus prædicatur, est ratio analogica.*

EXPLICATUR Conclusio. Ens in triplici statu considerari potest, I. in statu reali, & pro hoc statu nec rationem univoci, nec rationem Analogi dicit. II. Potest considerari in statu puræ præcisionis, & in hoc statu cum nullæ lateant differentia, non potest illa ratio, pro illo statu, esse ratio conveniendi & differendi. III. Potest considerari ens, in quantum post præcisionem entis fit comparatio ejus tam ad differentias, quam ad convenientias. Et in hoc statu, jam non præscindit à differentiis, sed illas respicit; nam dicit aliquid necessariò connexum cum differentiis, quia dicit comparari ad differentias, comparari autem ad differentias importat differentias; *His positis*

PROBATUR I. Conclusio. Ideò ens in statu abstractionis, quæ tali spectatu non est analogum; quia pro illo statu quæ tali præscindit à differentiis, & eas non importat; ergo cum comparativè ad differentias sumitur, eaque importat jam erit analogum.

CONFIRMATUR. Tum quia quod sub eodè nomine importat & aliquid commune & differens, est ratio Analogica, ut notum noscenti naturæ Analogiæ. Jam autem ens, ut descriptum est, acceptum, habet hæc omnia. Ergo. Tum quia, actus comparativus universalis præcisus, deiecit illud ad rationem importantis differentias; ergo & actus comparans ens ad differentias, deiecit illud, à ratione univoci. Antecedens videatur infra in Logica.

PROBATUR II. Quod *rationalitas sit formaliter animalitas*, falsa est propositio, vera autem hæc *rationalitas est formaliter entitas*, quæ propositio vera non esset, si ens comparativè sumptum ad differentias, non esset etiam ratio differendi, adeoque si non esset quid analogum, cum alijs supponatur ens. esse ratio etiam conveniendi.

PROBATUR III. Per omnem Philosophiam datur ratio analogica, si autem ens comparativè sumptum ad differentias quibus inesse potest deque illis prædicari, non esset analogum, nulla alia ratio posset esse analogica; quæ enim ratione tu ductus, dices ens sic sumptum non esse analogum, eadem ego dicam sanum, non esse quid analogum.

UBI VIDES. Sub quæ formalitate ens sit analogum, est enim analogum comparativè ad convenientias & differentias sumptum.

OBJICITUR I. Quod non est analogum, non potest predicari ut analogum, dici enim sequitur ad esse; & sicut quod non est univocum, non potest predicari ut univocum, sic nec quod non est analogum &c. Sed ens non esse analogum, probatur. Quia in statu reali non est analogum, dicitur enim analogiam à statu reali non sumi. Non est etiam analogum in statu intentionali, quia pro statu abstractionis tribuitur illi univocatio, ergo in nullo statu ens illud erit analogum.

RESPONDETUR. Esse ens analogum non quomodo unum; spectatum in statu intentionali, sed comparative ad differentias; ita ut proximè fuerit per abstractionem communis, comparationeque primum ad differentias, acquirat rationem differendi.

INSTABIS I. Quando predicatur ens vel illud predicatur ens quod est abstractum à differentis vel non illud, si illud, ergo predicatur univocum; nam illud abstractum, est univocum: Si non idem predicatur, ergo non predicatur ratio entis, quia ratio entis maximè in illo statu apparet.

RESPONDETUR. Imprimis idem quidem ens predicari, sed non eodem modo sumptum, ad eum planè modum, quo predicatur quidem universale in essendo, sed non eodem modo sumptum; sed in quantum habet formalitatem universalis in predicando. Deinde intentum conclusionis est, hoc solum dicere, quod comparative ad differentias sumptum ens, non sit univocum, nec contra hoc stat ista instantia. Directius tamen ad argumentum accedendo dici potest, dupliciter posse ens predicari de differentis, primò sine ulla comparatione ad inferiora, & sic predicatur ut univocum. II. Si sumatur comparative ad differentias, & sic predicatur ut analogum; ad eum modum quo ipsum animal si sumatur præcisè, nulla importat inferiora; si autem sumatur comparative ad inferiora, non abstrahit ab iisdem; de quo in Logica ubi agimus de aptitudine universalis & de eiusdem unitate.

INSTABIS II. Quando dico, differentia est ens, vel in Ly ens importantur differentia, vel non importantur? Si non importantur, ergo est univocum: Si importantur, ergo falsa est illa propositio, differentia est ens; quia hoc predicatum dicit aliquid quod non dicit subiectum, differentia enim una, non includit alias differentias; quas tamen per te, ens dictum de differentis includit.

RESPOND. Distinctas has esse propositiones, Ens quod predicatur esse analogum, & ens quod comparatur, ad ea de quibus predicatur, est analogum. Secunda propositio vera est: Prima autem falsa est: Ordinariè enim ens quod predicatur de differentis univocum est: quia ordinariè predicatur ut aliquid universalissimum & abstractissimum, in sua autè abstractione, non importat differentias.

INSTABIS III. Ergo aliter sumitur ens, dum predicatur de differentis, & aliter dum accipitur comparative ad ea de quibus predicari potest.

RESPONDETUR. Quòd aliter, & dum predicatur, ordinariè predicatur universale; compara-

tivè autem sumptum si predicetur, particularem non nisi propositionem facit.

NOTANDUM. Insuper hic est quòd illud ens ut sic acceptum & predicabile de suis inferioribus importet comparabilitatem sui ad differentias, sicut & universale predicabilitatè de inferioribus. Et sicut predicabilitas, ita & comparabilitas dupliciter spectari potest. Primò tanquam positiva aliqua ratio, sic sumpta dicit exigentiam ad comparari vel predicari, sicque sumpta predicabilitas dicit inferiora, destruitque univocationem, quia dicit id quod dicit ordinem cum inferioribus. Secundo spectari potest predicabilitas & comparabilitas negativa, in quantum illa ratio utpote communis, patitur se comparari ad multa, de quibus illis predicari, sic sumpta non importat differentias, habetque se potius per modum necessarij prærequisiti ut predicari vel comparari possit, quia per illam abstractionem extrahitur à statu reali, in quo non datur ulla ratio communis, quæ sola comparari potest; nec tamen exigit positivè illam sui comparationem; quia nihil refert, ut ita dicam, illi enti abstracto, quòd accedat illi alter ille actus comparativus, vel non accedat.

OBJICITUR II. Quòd semel est univocum, semper est univocum, ergo nec ens unquam jam erit analogum.

RESPOND. Falsum esse antecedens. Quia Ly Canis si sumatur per ordinem ad latrabile est univocum, & tamen non semper est quid univocum, casu scilicet quo comparatur etiam ad natativum, quod est piscis. Adde quod semel est univocum, semper est univocum, servatà ratione propter quam est univocum, quæ non servatur si comparatur Ens ad differentias, non servatur inquam ex dictis rationibus; ad eum modum quo & animal habet conceptum præcisum à differentis, desinit tamen esse tale & non involvens differentias, si comparatur ad differentias. Breviter ergo ens pro statu abstractionis est univocum, quia in hoc statu nec ipsum dicit differentias, nec importat aliquid connexum cum differentis; si autem sumatur comparative ad differentias, ipsa comparatio cum differentis, est connexa cum differentis.

OBJICITUR III. Licet animal prout est à parte rei sit ratio conveniendi; in quantum autem identificatur rationali sit ratio differendi, tamen animalitas est quid univocum, ergo etiam ens in quantum comparatur ad differentias erit univocum.

RESPONDETUR. Disparitatem esse. Quia ratio analogiæ non spectatur penes statum realem, status autem entis comparative ad ea de quibus predicari potest, est status intentionalis, quid enim comparativum est nisi nostra intentio? Quod si analogia ex statu reali non desumitur, cum non nisi in statu reali animal identificetur differentis, non nisi in statu reali erit ratio etiam differendi. Nec unquam sub nomine animalitatis dicitur de differentis formaliter, secus ens. Unde sub nomine animalis non est ratio differendi.

Cate-

Cæterum posset quis alia via salvare Analogiam Entis, est tamen dicere, quod Analoga habeant conceptum perfectè unum; nempe quia præcindunt & ab hoc & ab illo particulari analogo, & per hoc salvatur, quod habeatur conceptum perfectè unum. Quia tamen illa ratio ut sic, est abstracta à rationibus conveniendi & differendi sub eodem nomine ipsa etiam erit, ut sic ratio conveniendi & differendi, adeoque Analoga, cum Analogum, sit ratio conveniendi & differendi sub eodem nomine.

QUÆSTIO II.

De Ente prout possibile est.

PRÆMITTO I. *Possibile dupliciter spectari potest.* I. ut contraponitur, actu existenti; & sic AntiChristus dicitur possibilis. II. Ut est quid commune, tam actu existenti, quam ei quod non existit, quamvis ei non repugnet existentia, & in eo sensu quod existit, dicitur esse possibile, ut existat. Prioris generis possibilitas non competit Deo, cuius esse est existere; non competet item creaturæ, quæ ab æterno existeret, nisi pro priori rationis, in quo concipitur potuisse non esse, cum liberè producta sit. Secunda autem possibilitas competit Deo, & creaturæ, etiam ab æterno existenti, & omni ei, quod chimæra non est. Prior illa possibilitas vocatur possibilitas physica, posterior possibilitas Logica.

PRÆMITTO II. *Quod possibilitas physica duo dicitur.* I. Formalitatem possibilitatis sibi communè cum possibili Logico, & per hanc distinguitur ab omni eo quod ens rationis est. 2. Importat convenientiam actualis existentia. Sed circa hoc subest aliqua difficultas. Si enim possibilitas dicit carentiam suæ actualis existentia, hoc ipso dicit carentiam sui, nam existentia rei non distinguitur à re.

EXPLICARI potest I. Ex Oviedo hinc Puncto 1. n. 17. quod scilicet aliud sit dicere ens possibile possibilitate physica non esse, seu non existere; & aliud quod sit illud ens, negatio seu carentia existentia. Quod probat. Tum quia cum prima sit quæstio de re, an sit; II. Quid sit? cum possibile ens dicatur non esse, non est ulterius procedendum puid sit? adeoque an sit negatio existentia, vel non, illa possibilitas. Tum quia quamvis vera sit hæc propositio: homo non est equus; falsa tamen hæc: quod homo sit negatio equi; ita etiam vera erit hæc propositio: ens possibile non existit, falsa tamen hæc, ens possibile est negatio existentia; licet verum sit tunc temporis, cum non existit possibile, dari in rerum naturâ negationem talis existentia, quæ negatio distinguitur ab illo, cuius est negatio, consequenter quando possibile reducitur in actum existentia, non convertitur negatio existentia, in ipsam existentiam, sed tantum incipit esse, quod antea non erat, absque ullâ conversione negationis in habitum, & absque ullâ mutatione illius rei, quæ

producitur, quæ ante sui productionem, nec in se, nec in aliquo sui erat. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT. Tum quia demus, quod homo non sit negatio equi, tamè necessario importat & dicit esse ipsius, negationem equi: Sic in præsentia, demus, quod possibile non sit negatio existentia, ad minimum dicit & importat negationem existentia; si importat negationem existentia ut volebat argumentum, importat negationem sui ipsius, cum existentia sit illud me ipsum. Tum quia: an debeat dici ens possibile negatio existentia, an verò debeat dici non existere, est quæstio de voce: in re enim quod non existit, dicit negationem existentia, reditque argumentum quod in re possibilitas dicat negationem ipsius. Tum quia cum non existit possibile, verum est dari negationem talis existentia, at quid dicit negationem talis existentia? Nōne ipsum possibile? quomodo ergo non dicit negationem sui?

EXPLICARI potest II. Quod scilicet idè possit dicere negationem sui ipsius, sed aliter accepti. Sic v. g. Petrus venturus, quid est nisi ipse Petrus, pro ut pro nunc non venit: venturus autè postea; ubi aliter acceptus Petrus, dicit negationem sui ipsius, hinc. Unde etiam possibile, dicit negationem sui aliter accepti; nam in recto dicit conditionatam suam existentiam, quod scilicet sit id quod si existeret non implicaret contradictionem; in obliquo autem dicit negationem existentia actualis pro nunc; Hæc explicatio cæteroqui bona.

NON SATISFACIT plenè. Tum quia infra videbimus quod possibile non dicat conditionatam existentiam primò. Tum quia conditionata existentia ab actuali solo statu differt. Quæro ergo quid hic negatur: non solus status; quia negatio status est impertinens; Si autem negetur ipsa existentia, redit argumentum: quod possibile dicat negationem sui ipsius.

EXPLICARI potest III. Supponendo imprimis quod possibile, de quo in præsentia, à parte rei nihil omnino sit actuale, sed totam difficultatem procedere de modo concipiendi; an scilicet debeat concipi possibile tanquam negatio sui. Ut modus concipiendi rectè formetur ostendaturque debet, quomodo ens possibile non dicat negationem sui ipsius, ita discurrere possemus. Ut videlicet possibile dicat ens nominaliter acceptum in recto, seu acceptum pro radice essendi, ut autem dicat in obliquo negationem entis particulariter seu pro existentia accepti. Unde jam possibile non dicit negationem sui in recto accepti, licet dicat negationem sui h. e. alicujus identificabilis sibi pro statu reali, & dum extra causas ponetur. Quod si non erit negatio ejusdem de eodem, non erit vera contradictio; consequenter nec jam idem) ex modo concipiendi, de quo hic in dicta difficultate) negabitur de se ipso. Addo signanter; quod ens possibile importet rationem entis, licet simul importet quod nihil sit physice, seu importet negationem suæ existentia in